



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, M.DCCXI

§. III. Nostra sententia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84777](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84777)

autem videntur puram speculativam probabilitatem præferre, quamvis ex iisdem facile quilibet inferet probabilitatem practicam: tales sunt *tertia*, Sufficit tenuis probabilitas ad prudenter operandum; ex quâ innumera practicæ falsa inferuntur; 16. Non datur speciale fidei præceptum; 19. Voluntas non potest facere, ut assensus fidei sit firmiter motivo, à quo impellitur; ex quibus inferitur fidem ex se non obligare, & voluntatem licite posse repudiare fidem, & fidem stare posse cum formidine revelationis Divinæ, quæ opiniones tradebantur, ut practicæ veræ, & sunt damnatæ; 23. Sufficit ad justificationem fides latè dicta; ex quâ inferitur, neminem fide strictâ teneri credere, ut iustificetur, quæ est practicæ falsa. 48. Fornicatio secundum se nullam includit malitiam; ex quâ affirmatâ ut speculativè probabili inferri posset, fore aliquando bonam, immò necessariam, ut infereretur ex 49. quod tamen est practicæ falsum. Vel sermo est de damnatis ab Alexandro VIII. & de his dico, quòd licet plerique asserunt probabilitatem speculativam, plures tamen affirmant etiam, vel inferunt practicam; tales sunt 1. Quòd sufficit ad peccatum mortale libertas in Adamo; ex quâ plurima inferuntur peccata; talis 3. Non licet sequi probabilissimam; ex quâ inferitur peccare, qui sequitur probabilissimam; talis 20. Confessiones apud Religiosos factæ, pleræque, vel sacrilegæ sunt, vel invalidæ, & ferè omnes aliæ, ut patebit consideranti. Ex quâ annotatione inferam contra Adversarios, quod ut mea sententia asserens omnes damnatas ex Cathedrâ ut scandalosas esse certò falsas, sit vera, satis est, ut opinio damnata sit falsa falsitate opposita veritati, quam damnata supponebat: ex gr. si damnata assereretur practicæ vera, ego dico practicæ falsam; si speculativè vera, dico eam post iudicium Papæ esse speculativè falsam: quia autem, ut dixi, pleræque ex damnatis loquebantur de probabilitate, seu veritate practicâ, immò illæ paucae, quæ præferunt probabilitatem speculativam, tradunt illam plerumque in ordine ad praxim; hinc dicam, quòd eo ipso, quòd Adversarii concedunt, damnatas ut scandalosas esse practicæ falsas, dicunt quod nos; quòd si dicant non dicere quod nos, quia nos dicimus esse speculativè falsas, tunc dico nobis videri, quòd non penetrent propositiones; ego enim dico damnatas esse falsas, & continere falsitatem oppositam veritati, quam indicabant; si veritatem practicam, dico esse practicæ; si speculativam, dico eas esse speculativè falsas. Immo ex hoc Tom. I.

ipso, quòd aliquæ ex damnatis juxta Adversarios adhuc retineant veritatem speculativam, eo ipso dicere non possunt, esse post damnationem practicæ falsas, si ad rem loquuntur; nam cum nullam veritatem practicam continerent, nullam etiam veritatem practicam per damnationem amittunt; ergo si quam amittunt, est veritas speculativa, quam præferabant.

Nota nono, præminentiam iudicii Pontificij supra omne iudicium, non tantum Doctoris privati, sed etiam omnium sapientum, ut ait S. Thom. *Quodlibet*. 10. art. 6. s. Th. *Magis standum est auctoritati Papæ, ad quem pertinet determinare de fide, quam quorumlibet sapientum in Scripturis opinioni*, consistere non tantum in certitudine, quam haurit ex assentia Spiritus S. sed etiam in perpetuitate, ita ut quod semel definitur ut certum, sit semper toto tempore futuro certum, adeoque sicut Papa declarans opinionem aliquam esse hæreticam, eadem in eodem sensu est omni tempore futuro hæretica; ita declarans aliquam improbabilem, eadem est omni tempore futuro in eodem sensu improbabilis, ita ut de ejus probabilitate concludatur, & desperatum sit. Hæc notanda fuerunt ad perfectam nostræ sententiæ intelligentiam.

§. III.

Nostra sententia.

S U M M A R I U M.

Damnata ex Cathedrâ ut scandalosa, non gaudet probabilitate, quâ antea, n. 105.
Est reflexè improbabilis, n. 106.
Est directè falsa, n. 107.
Est certò illicita, n. 109.
Nulla damnata à Papâ ut scandalosa, est scandalosa ex ignorantia, n. 111.
Contra illam stat certum Papæ de non licentiâ iudicium, ibid.
Cur omnis opinio ex objecto scandalosa sit falsa? n. 113.
Censura Theologica supponit falsitatem, ibid.
Si opinio habeat contra se quid certum, est improbabilis; si nil contra se habeat certum, nec pro se habeat grave fundamentum, non est probabilis, n. 115.

Prima conclusio: Opinio declarata à Papâ loquente ex Cathedrâ ut objectivè scandalosa, non est amplius probabilis eo genere probabilitatis, quo antea; ita ut, si prius erat probabilis speculativè, non est amplius speculativè probabilis; si probabilis practicè, non est amplius practicè probabilis.

F ij Secunda

N. 106. Secunda conclusio: Eadem propositio damnata à Papà ut scandalosa, eo ipso quòd non sit amplius probabilis directè, sit omnino reflexè improbabilis positivè, seu est reflexè certum, eam non esse amplius probabilem.

N. 107. Tertia conclusio: Eadem propositio damnata à Papà ut scandalosa, non tantum non est amplius probabilis directè, sed est directè omnino falsa, & positivè improbabilis.

N. 108. Tribus continetur mea sententia; nempe propositionem damnatam à Papà ut scandalosam, primo carere omni probabilitate assertà, vel supposità in eadem propositione; secundo, eo ipso esse per dictamen reflexum improbabilem positivè, quatenus est reflexè certum eam non esse probabilem; tertio, esse directè positivè improbabilem, seu certò falsam in se.

N. 109. Prima conclusio probatur: Nulla opinio certò scandalosa, si constet esse talem; potest esse probabilis, nec practicè, si affirmetur ab eadem opinione probabilitas practica, nec speculativè, si speculativa: sed omnis damnata à Papà ut scandalosa, est certò juxta omnes, immo juxta me est de fide scandalosa: ergo nulla damnata à Papà ut scandalosa potest esse amplius probabilis. Maior probatur: Omnis opinio certò scandalosa est certò illicita: ergo si est certò illicita, eo ipso à certitudine de non licentià eliditur omnis verosimilitudo licentiæ sumpta à ratione, vel autoritate: ergo non est amplius probabilis; probabilitas enim sumitur à verosimilitudine nixà gravi rationi, vel autoritati. Confirmo: Omne practicè probabile est licitum; nullum certò scandalosum est licitum: ergo nullum certò scandalosum est practicè probabile; ergo certitudo scandali excludit omnem probabilitatem, adeo ut sicut Pontifex declarans scandalosam opinionem ratione probabilitatis practicae, tollit probabilitatem practicae, ita declarans scandalosam ratione probabilitatis speculativæ, tollit omnem probabilitatem speculativam; dum enim Pontifex damnat ut scandalosam aliquam opinionem, damnat illam ratione probabilitatis ab eà opinione assertæ.

N. 110. Secunda conclusio probatur ratione sumpta ex notatione quartà, ubi dixi, quod propositioni directè non probabili potest supervenire iudicium reflexum certum, quo fiat positivè improbabilis: ita enim arguo: Est omnino certum, quòd est illicitum, & improbabile uti tanquam regulà morum opinione non probabili: sed omnis damnata à Papà ut scandalosa non est amplius pro-

babilis, ut dixi in prima conclusione: ergo est omnino certum me eà uti non posse: ergo opinio directè non probabilis est per dictamen reflexum omnino improbabilis, seu certò falsa: ergo est certò falsum, quòd eà uti possum.

Tertia conclusio, in quà præcipuè consistit difficultas, probatur à P. Card. tom. 4. disp. 1. a. n. 172. quia si damnata à Papà ut scandalosa, non esset falsa, ejus objectum esset à parte rei licitum, & non nisi ob ignorantiam esset illicitum: ergo Papà damnans ut illicitum erraret in materià morum. Ego autem ita probo, primò: quia eà opinio est certò falsa, quæ habet contra se iudicium certum de falsitate: sed damnata à Papà, ut certò scandalosa ex objecto: (dixi enim omnes damnatas non esse scandalosas ex ignorantia audientium, aut ratione equivoci non intellecti ab audientibus, sed esse ex se intrinsecè scandalosas) sed damnata à Papà, ut ex objecto scandalosa, habet contra se certum Papæ de falsitate talis opinionis iudicium: ergo damnata à Papà, ut ex objecto scandalosa, est certò falsa. Minor probatur, & claritatis gratià fumo hanc ex damnatis, ut scandalosis: *Licitum est edere ad satietatem*: hæc opinio habet contra se hoc Papæ certum iudicium, *Non est licitum edere ad satietatem*; jam quero, an hoc certum Papæ iudicium sit verum? Sanè nemo negabit; omne enim infallibiliter certum est verum: ergo cum contradictorium veri sit falsum, falsum erit eà opinio, *Licitum est edere ad satietatem*. Quòd autem opinio damnata habeat contra se certum iudicium Papæ, est evidens, nam eam damnat. Dices, habere contra se certum iudicium Papæ de scandalo, non autem de falsitate opinionis. Sed contra: Si certum iudicium Papæ de scandalo opinionis non esset iudicium certum de ejus falsitate, sequeretur, quòd posset esse verum id, quòd Papà damnat, ut scandalosum ex objecto, adeoque hæc opinio, *Licitum est edere ad satietatem*, posset esse vera; demus autem verum esse, quòd liceat; rogo, quomodo Papà damnat, ut scandalosum, quòd liceat? nihil enim est in eà opinione, quòd damnetur, quàm modus; sed modus, seu tò licitum, est verum: ergo est falsum, quòd sit scandalosum, nam nullum secundum omnes suas circumstantias assertum cum veritate esse licitum, est scandalosum.

Confirmò primò: Nullum certò scandalosum est verè licitum: sed hoc, *Licitum est edere ad satietatem*, est certò scandalosum; ergo non est verè licitum. Secundo ex his, p. de la que tradit P. de la Fuente, egregie semper, Fuente. disp. 1.

N. 111. P. Card.

diff. 1. an. 29. licet enim dicat, quod si de propositione falsa scandalosa in genere loquamur, verum sit, posse aliquid esse scandalosum, & verum; attamen loquendo de Decreto Pontificio, intelligi non potest, quomodo opinio possit esse scandalosa, quin sit falsa. Ratio est: quia opiniones damnatae sunt scandalosae per modum regulae dirigentis mores nostros sine ullo salutis periculo; regula autem vera, & conformis rectae rationi non potest esse scandalosa; ergo si est vera, non est scandalosa, & si est scandalosa, non est vera. Rursus: quia, inquit, omnes damnatae sunt practice improbabiles, & quidem aliquae damnantur expresse, quia antecebat probabilitatem, reliquae vero per evidentem consequentiam trahunt improbabilitatem: sed improbabilitas practica, trahit secum practicae falsitatem: ergo, &c. Similiter, quia damnantur, ut in praxi perniciosae: sed pernicies timeri non potest ex eo, quod Fideles assentiantur doctrinis veris, immo ex eo, quod falsis, apparenter veris: ergo si sunt perniciosae, sunt falsae. Demum addit, quod magna deceptio sequeretur in tota Ecclesia, si Fideles acquiescendo Decretis Pontificiis precipientibus, & quidem sub excommunicatione, ne quis disputet, aut practicet, & unice permittentibus earum impugnationem, obediendo Pontifici impugnarent verum: ergo ne hoc dicatur, omnes damnatae sunt falsae. Alia plura P. de la Fuente. Tertiò confirmo ex doctrina supra allata, & eam tradit P. Ripald. tom. 3. d. 1. n. 9. & n. 58. & d. 2. n. 19. quia omnis doctrina ex objecto scandalosa includit intrinsicè falsitatem, ex qua oritur scandalum, ad differentiam propositionis ex ignorantia scandalosae: rursus idem P. Ripald. tom. 3. d. 1. n. 49. ait: Post latam ab Ecclesia aliquam censuram contra aliquam opinionem, damnando eam, ut temerariam, aut scandalosam, aut improbabilem, ea opinio redditur haeretica, aut erronea, quia fit opposita iudicio infallibili Ecclesiae; nam, ut bene advertit P. Suar. de Fide d. 19. sect. 2. censura Theologica supponit in proferente iudicium falsitatis, & addit gradum malitiae, & qualitatis nocivae fidei: ergo Ecclesia censens aliquam doctrinam esse temerariam, scandalosam, aut improbabilem, censet etiam esse falsam, & qui eam docet ut veram, contradicit iudicio Ecclesiae. Verum quidem est, posse opinionem esse temerariam simul, & veram; attamen hoc non contingit in iudicio infallibili Ecclesiae; doctrinam enim, quam Ecclesia censet temerariam, est re ipsa falsa; & hoc est discrimen

Tom. I.

inter iudicium infallibile Papae, & iudicium fallibile aliorum Doctorum, quod doctrina, quam Ecclesia iudicat temerariam, est re ipsa falsa, quia ejus iudicium est infallibile; doctrina autem, quam alij Doctores iudicant temerariam, potest esse vera, quia eorum iudicium est fallibile. Lege P. Rip.

Secundo probatur: quia, vel verum est licere, quod Papa dicit non licere, vel non est verum? Si non est verum; ergo est falsum *licere*, quod Papa dicit non licere, & sic habeo intentum: si est verum *licere*, quod Papa dicit non licere; ergo Papa errat: similiter sumo opinionem asserentem probabilitatem purè speculativam, ex. gr. probabile est sufficere ad prudenter operandum tenuem probabilitatem; & ita arguo: Vel est probabile, quod Papa dicit non esse probabile, vel non est probabile? Si non est probabile; ergo non est probabile, quod Papa dicit non esse probabile, & sic habeo intentum: si est probabile; ergo Papa damnans opinionem ut scandalosam, quia asseritur probabilis, errat. Confirmo: Si unum ex contradictoriis est certò verum, aliud est certò falsum: *licere, non licere*, sunt contradictoria: ergo si certò verum est non *licere*, certò falsum est *licere*; aut e contra, si est certò falsum *licere*, est certò verum non *licere*.

Tertiò probatur: Quod caret fundamento gravi, & nihil certum contra se habet, illud est negativè improbabile, id est, non est probabile; quod autem aliquid certum contra se habet, illud est positivè improbabile, seu certò falsum: sed omnis damnata à Papà ut scandalosa, habet contra se certum de ejus probabilitate Papae iudicium; eatenus enim opinio damnata est scandalosa, quatenus asserit *licere*, vel *esse probabile*, & seclusis his particulis, non esset scandalosa: ergo omnis damnata à Papà ut scandalosa, est certò improbabilis, seu certò falsa. Confirmo: Opinio, cujus probabilitas, & licentia certò desperatur, est certò repugnans probabilitati, & licentiae: sed opinio damnata per certum, & perpetuum Papae iudicium, quia asserta probabilis, & licita, est opinio, cujus probabilitas, & licentia desperatur: ergo est certò repugnans, pro omni tempore futuro, omni probabilitati, & licentiae: ergo numquam potest esse vera, sed est, & erit certò semper falsa.

§. IV.

Solvuntur argumenta allata §. primo.

SUMMARIUM.

Quid sentiam de DD. oppositis? n. 116.

F iij

Propo-